

81. *Contendebant enim, teste Epiphanio, μετὰ τὸ λῆτρον μηκέτι δύνασθαι ἐλεῖσθαι τὸν πεπτωκότα, post lavacrum regenerationis misericordiam amplius consequi non posse eum, qui lapsus fuerit.*

82. *Opponimus furori huic, ea, quæ pro affirmativâ fuerunt ex sacris modò producta & testimonia & exempla: & cum Chrysostomo exclamamus: χιλιάκις μετανοήσας ἔσελθε.*

83. *Tertium hæreticorum in hoc articulo agmen ducunt Pontificij: quos ideò Confessio nostra rejicit, quia docent, Remissionem peccatorum non per fidem contingere, sed jubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.*

84. *Fidem enim omnem, ex Conversionis nostræ opere ipsos expungere, vel indè manifestum, est, quòd Pœnitentiæ partes, omiſſa fide, tres alias constituunt: nempe 1. Cordis contritionem, 2. Oris Confessionem. 3. Operis satisfactionem.*

85. **I. CONTRITIONEM** *illi requirunt non talem, qualem ex verbo Dei jam definivimus, sed omnibus numeris perfectam & absolutam, quæ commissorum delictorum atrocitatem æquet, quæq; non modò de congruo, verùm etiam de condigno, peccatorum Remissionem promereatur. Rob. Bellar. Tom. 2. pag 1275. & seqq.*  
Talem